



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 36. Variæ S. Congregationum decisiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII.

A. C. 1680.

§. XXXVI.

*Variae S. Congregationum decisiones.**Decis. SS.
Congreg.*

Occurrentibus diversis dubiis præcipue circa Ritus Sacros, plura SS. Congregationum decreta emanarunt, ac primo quidem sacra Rota die decima nona Februarii decidit, quod ad Vicarium perpetuum Ecclesiæ Collegiatæ spectent functiones Ecclesiasticæ, quæ respiciunt tantum curæ exercitium & Sacramentorum administrationem: ad Canonicos autem in choro pertineant horæ Canonicæ, Vesperæ solemnes, Missæ Majores, Benedictiones fontis Baptismalis &c. Declaratum quoque die vigesima sexta Junii, quod jus privative faciendi processionem in festo Corporis Christi competat illi Ecclesiæ, quæ probat, se ab antiquo privative quoad alias fecisse. Die autem septima Decembris sacra Rituum Congregatio definivit, quod officia Sanctorum, quæ de Mense Decembri aliquando supersunt, transferri possint, & fieri in prima die non impedita sequentis anni, quando autem eadem die duo festa duplicia infra octavam Corporis Christi concurrunt, non sit de translato agendum immediate die sequenti non impedita, sed post prædictam octavam

vam, officium quoque particulare aliqujus Diæcesis, vel Religionis, quod occurrit die 25. Februarii, sit transferendum in Anno Bissextili ad primam diem non impeditam, nisi esset festum tituli, seu Patroni Ecclesiæ, si denique occurrat officium novem lectionum de pluribus SS. Virginibus & Martyribus eodem die, quo cadit festum simplex ejusdem qualitatis, servanda sit pro commemoratione simplici antiphona: *Istarum est enim Regnum cælorum*, uti in festo SS. Perpetuæ & Felicitatis.

Sæc. XVII.
A. C. 1680.

§. XXXVII.

Synodi Antverpiensis decreta.

Celebrabat hoc anno die secunda Martii Joannes Ferdinandus de Beughen Antverpiensis Episcopus Synodum suam, in qua Clerum suum ad observanda Concilii Tridentini decreta hortatus, præcepit, ut illi, qui S. Ordinibus initiari petunt, prius saltem cum Parocho vel Viro prudente de vocatione sua deliberent: postea Synodus eisdem vitæ Sacerdotalis præcepta præscripsit, eaque quibusdam sententiis firmavit.

Concil. German. t. 10.